

Salonis. 13.

IMP · CAESAR · DIVI · VESPASIANI · F · DOMITIA
 NVS · AVGVSTVS · GERMANICVS PONTIFEX MA
 XIMVS TRIBVNIC · POTEST · . . XII IMP · XXII
 COS XVI · CENSOR · PERPETVVS · P · P ·
 PEDITIBVS · ET · EQVITIBVS · QVI MILITANT IN · CO
 HORTE · III ALPINORVM · ET · IN · VIII · VOLVN
 TARIORVM · CIVIVM ROMANORVM · QVI
 PEREGRINAE · CONDICIONIS · PROBATI · ERANT
 ET · SVNT IN DELMATIA · SVB · Q · POMPONIO
 RVFO · QVI · QVINA · ET · VICENA · STIPENDIA
 AVT · PLVRA · MERVERVNT · ITEM · DIMISSO
 HONESTA · MISSIONE · EMERITIS · STIPEN
 DIIS · QVORVM · NOMINA · SVBSCRIPTA
 SVNT · IPSIS · LIBERIS · POSTERISQVE · EORVM
 CIVITATEM · DEDIT · ET · CONVBIVM · CVM
 VXORIBVS · QVAS · TVNC · HABVSSSENT
 CVM · EST · CIVITAS · IIS · DATA · AVT · SI · QVI · CAELI
 BES · ESSENT · CVM · IIS · QVAS · POSTEA · DVXIS
 SENT · DVMTAXAT · SINGVLI · SINGVLAS
 A · D · III · IDVS · IVLIAS
 M · LOLLIO · PAVLINO · VALERIO · ASIATICO · SATVRNINO
 C · ANTIO · IVLIO · QVADRATO · COS
 VIBVS · MAXIMVS
 PEDITI
 VENETO · DITI · F · DAVERS
 ET · MADENAE · PLARENTIS · FILIAE · VXORI · EIVS · DERAMISI
 GALLO F ETEIVS
 DESCRIPTVM · ET · RECOGNITVM · EX TABVLA
 AENEA · QVAE · FIXA · EST · ROMAE · IN · MVRO
 POST · TEMPLVM · DIVI AVG · AD · MINERVAM
 A · VOLVMNI EXPECTATI
 Q · ORFI CVPITI
 CN · EGNATI VITALIS
 SEX · MANLI CINNAM
 L · PVLLI SPERATI
 P · ATINI AMERIMNI
 L · PVLLI VERECVNDI

Hoc ita descriptum in tabulis aeneis intra Salonarum ruinas re-
 pertum vidimus, legimus, exscripsimus. Has autem tabulas nunc tu

Dominice dono tibi datas in deliciis habes quasi heres eorum, quibus olim in testimonium virtutis ab imperatore traditae fuere. Hec iniuria id facis, quoniam quidquid avorum gloria ad nepotum redundat laudem, tantoque ad te magis, quanto plenius eos expresseris et militiae studio et animi vigore. Dum enim virenti adhuc aetate floreres, equos alere, arma tractare, et nunc hasta, nunc ense pugnae simulacra cum aequalibus ciere magnopere te delectabat; quin etiam quoties incursionem pati contigit, toties obviam hosti cum armatorum manu prodibas, contempto vitae periculo pro patriae honore. Post haec in classe Veneta triremis praefectus Ottomanico bello ita te gessisti, ut iam emeritis stipendiis domum reversus domesticis laudem atuleris, amicis laetitiam, patriae decorem. Non vereor ne quis me adulari existimet, omnibus nota loquor magisque timeo, ne verecundiam tuam offendam, quae ne aliorum aures gravem. Te enim tuo merito et summi diligunt, et medii amplectuntur, et infimi colunt, sed quum ea modestia es, ut ostentari opera tua et coram efferri non satis aequo animo pati soleas, his omissis, revertar ad tabellas, et scripturam istam, quae de terrae pulvere eruta et fato quodam tibi exhibita in tuo servatur scrinio, interpretari pergam.

Domicianus imperator Delmatis quibusdam, qui sub eius auspiciis frequenter militaverant, praeter stipendia, quae meruerunt, privilegium facit, quo ipsis uxoribusque eorum, liberis posterisque eorum civitatem donat, id est ut civium Romanorum iure utantur et pro civibus habeantur. Atque hoc ipsum Principis privilegium descriptum fuisse Romae dicitur in tabula aenea, quae muro affixa erat post templum Octaviani Augusti ad Minervam, loco videlicet conspicuo, ut legentes illorum, qui sic honorati erant, exemplo ad virtutem exercendam accenderentur.

IMP. CAESAR. Quinam hic fuerit, quid egerit, quomodo finierit, breviter tibi expediam. Domitianus Vespasiani filius, Tito fratri successit in regno, de Dacis et Germanis triumphavit, statuas aureas et argenteas sibi in Capitolio poni iussit, primus dominum se et Deum appellari praecepit, Christianos persecutus est, Joannem Apostolum in Pathmos ipse relegavit. Sicut Quintilis mensis a Julio Julius, et Sextilis ab Augusto Augustus dicti sunt, ita ille septembrem Germanicum, octobrem Domitianum nuncupari edixit, sed nomina ista cum ipso similiter desierunt. Philosophos et mathematicos Roma repulit; Indeos, qui de stirpe Davidis erant, interfecit, regium genus suspectum habens. Ipse occisus in palatio periit anno aetatis suae XXXVI. Tunc clypei imaginesque ejus in terram de-

iectae, et ab omnibus conculcatae: quod contigit anno humanae salutis XCVIII; regnavit annos XV. menses V.

Hic igitur enim quae dicta sunt, concessit pedibus et equitibus, qui militabant in cohorte tertia Alpinorum. Alpini sunt, qui sub Alpibus habitant, Ligures. De cohortium autem generibus diximus, et octava voluntariorum Civium romanorum ·/· eorum, qui ultro se obtulerunt in militiam, velones olim dicti, quia post Cannensem cladem servi in militiam recepti acceperunt libertatem, quum sponte se obtulissent. Qui peregrinae, inquit, conditionis probati erant ·/· non Itali noscebantur sed Delmatae; qui quina et vicena stipendia aut plura meruerunt ·/· qui quinquies et vicesies vel pluries in expeditione belli fuerunt. Item dimisso honesta missione triplex fuit missionis ratio. Honesti, quando exacto militiae tempore miles dimittebatur. Caesaria, quando vitio corporis vel mentis parum idoneus putabatur. Ignominiosi, quum ob delictum aliquod exauctorabatur. Emeriti stipendiis ·/· persolutis. Emeriti enim dicuntur militia soluti. Singuli singulas per hoc intelligimus, uni viro nefas fuisse, plures habere uxores. A D. III, a die tertio Idus Julius. Marco Lollio haec equitum nomina. Pediti etiam ac peditum. In fine ponuntur nomina liberorum posterorumque. De magistratibus autem, qui hic Domitiano tribuuntur, in praecedentibus est tractatum. Nihil aliud hoc l co explicandum restat, nisi quod et te ius romanae Civitatis possidere credi parsit, qui cum privilegium possis atendere, cum Papalis cognomen geras. Papam enim Romae modo preesse novimus, cui tunc Caesares Augusti praefuerunt.

Salonis. 14.

D

M

L · CORNELIO · L · F · BEATISSIMO · QVI VIX
 PL · M · ANN · XXIX · FVIT ORDINIS MILIT ·
 CON · I · HABVIT · VII · SPOL · XI · CORON · CIV ·
 IC · A CLASSE ROMAN CVM EORVM NOTA
 INTERFECTVS PERIIT · ET A SOCIIS CONCL
 AMATVS EST · S · C · EX AERARIO CIVI NOBI
 LISSIMO ET · B · M · P · III · IDS · IVLIAS ·

D. M. Diis manibus, L. Lucio, L. F. Lucii filio, ordinis militaris, cohortis primae. Habuit septem spolia, quia et provocatione septies singulari certamine vicerat; undecim coronas civicas, toties cive in praelio servato. Civica enim corona donabatur, qui civem ab inimicorum oppressione liberasset; ea erat ex fronde querna, quum cibus

victusque e quercu capi quondam solebat. A classe romanorum fuit interfectus tunc opinor, quum Marcus Octavius, ut dictum est, super Salonas cum navibus veniens, obsedisset etiam, quum per dolum ex insidiis fuit interceptus, ideo cum eorum nota sc. ignominia interemptus dicitur, a sociis conclamatus est ·/· deploratus atque defle-tus, et ad rogum usque deductus, ex decreto Senatus vel decurio-num sepultura honoratus ex aerario collata pecunia. S C. senatus consultum. B M P benemerito posuit. VIX ANN XXIX PL M., vixit annos XXIX plus minus ·/· circiter. etc.

Salonis. 15.

L · AELIO · CAESARE · IMP · P · COELIO ET VIBVLIO · PIO · COSS

VII IDVS OCTOBRES

C DOMITIVS · VALENS · II · VIR · I · D · PRAEEVNTE · C · IVLIO · SEVERO PONTIF

LEGEM DIXIT IN EA VERBA QVAE INFRA SCRIPTA SVNT

IVPPITER · O · M · QVANDOQVE · TIBI · HODIE · HANC · ARAM · DABO · DEDICABOQVE ·

OLLIS LEGIBVS

OLLISQVE · REGIONIBVS · DABO · DEDICABOQ QVAS HIC HO

DIE PALAM DIXERO VTI INFIMVM SOLVM HVIVS · ARAE EST ·

SI QVIS HIC HOSTIA SACRVM FAXIT QVOD MAGMENTVM NEC

PROTOLLAT IT CIRCO TAMEN PROBE FACTVM ESTO CAETERAE

LEGES HVIC ARAE EAEDEM SVNTO QVAE ARAE DIANE SVNT

IN AVENTINO MONTE DICTE HISCE LEGIBVS HISCE REGIONIBVS

SICVTI DIXI HANC TIBI · ARAM · IVPPITER OPTIME MAXIME DICO

DEDICOQVE VTI SIS VOLENS PROPICIVS MIHI CONLEGISQVE

MEIS DECVRIONIBVS COLONIS INCOLIS COLONIAE MARTIAE

IVLIAE SALONAE CONIVGIBVS LIBERISQVE NOSTRIS

Helius Pertinac septuagesimum aetatis excedens annum, quum esset praefectus urbis ex Senatus Consulto imperare iussus est. Obsecrante Senatu, ut uxorem suam Augustam et filium Caesarem appellaret, contradixit, et sufficere testatus est, quod ipse regnet invit. Occiditur in palatio Juliani iuris periti scelere, quem postea Severus apud Milvium pontem interfecit. Helvius imperavit menses sex. Eo imperante, Caius Domitius Valens duumvir apud Salonas Jovi aram dedicat hac lege, ut si quis ibi hostiam sacram faxit ·/· pecudem ita sacrificet, quod magmentum, antiqui maius augmen-tum dicebant, nec protollat ·/· nec proferat quaedam, quae augeri solent sacrificium, libamenta, et sine his probe factum esto, et rite sacrificatum putetur. Pro arae autem dedicatione Jovem postulat, ut sibi ac suis volens propiciusque sit. Hostia dicitur pecus, quod

in sacrificio occiditur; hostiae enim dicebant forire. Ollis antique dictum pro illis; dico dedicaboque pontificale verbum, significat aeternum trado. In Aventino, Romae collis ab Aventino Albano rege ibi sepulto dictus. In eo colle fuit templum Dianae, cuius leges huic arae communes esse iubet, ut eodem sacrificanti ritu utatur, qui hic Jovi sacrificat, quo utuntur, qui in Aventino sacrificant Dianae.

II. VIR duumvir, I. D. primo die vel uno die, O. M. optime maxime; caetera patent.

Salonis. 16.

VARIVS · VALENTINVS ET FLAVIA LIC
ENTINA IVLIO CTRANO ET VARIAE
FLAVIAE SALONAE QVI VIX · IVLIVS
ANNOS XXVIII MENSES II SALONA
ANNOS XVI MENSES VIII PARENTES
INFELICISSIME FILIIS CARIS POSVERVN

Salonis. 17.

C · TESPRIO MASCELIONI VISELLIA
FELICLA MARITO INCMPARABILI
POSVIT

Facilis quidem horum ac plana est lectio, sed nuda nomina, tam enim nescitur, qui fuerint isti, aut quid egerint, quamsi nulla omnino de illis cifra hic extaret; ex quo constat neminem inscriptionibus clarum fore, quem nobilem non fecerit virtus. Soli memorantur illi, qui memoratu digna gessere. Aliorum nomina simul cum corporibus mortua iacent illa oblivione haec terra obruta. Nobis tamen non ideo colenda est virtus, ut posteritati noti simus, sed ut Deo placeamus.

Salonis. 18.

L · IVLIVS C · F · TRO · CLEMENS NEGOTI
ATOR · T · F · IVSSIT · SIBI · ET · C · IVLIO C · F · TRO ·
MAXIMO PATRI ET · NONIAE LACRI · F ·
MARVLIAE MATRI · ET · L · IVLIO · L · F · TRO ·
MAXIMO FILIO ET · IVLIAE · L · F · MARV
LIAE · F · · ET · IVLIAE · L · F · CLEMENTILLA · FF

Haec apud te in saxo ingenti incisis litteris habentur, quae nos de fundamentis Salonarum littoralis muri eruta ad tuas aedis transferri sicut pleraque alia nuperrime vidimus. Nec sumptui enim nec labori parcis, dum veterum monumenta undequaque tibi comparas. Haec igitur in fine opusculi descripta ita exponere libuit.

L IVLIVS. C. F. TRO CLEMENS NEGOTIATOR T. F. IVSSIT SIBI ·/· Lucius Julius Cai filius Troezenus, cui Clementi agnomen fuit; externus enim fuit ex Troezene Achaiae oppido, et Saloniensis residens negotiabatur. Is testamento fieri iussit sibi, iussit quippe fieri sibi sepulchrum cum edificio superposito et parentibus et filiis iam vita defunctis, unde dicitur et Julio Cai filio Troezeno Maximo patri et Noniae Laci filiae Maruliae matri et Lucio Julio Lucii filio. Ipse autem Lucius est dictus Troezeno maximo filio, ideo Troezeno, quia quum maximus natus esset, in patria eum genuerat, reliquos Saloniensis. De quibus dicitur et Juliae Lucii filiae Maruliae filiae et Juliae Lucii filiae Clementilla filia fecit. Clementilla ergo filia superstes, quod pater Lucius Julius Clemens fieri iusserit, hoc faciendum curavit, ut ostenderet, quantum vivo obsequens fuerit genitori, quae mortuo quoque obedivit.

Haec habui Dominice iocundissime, quae de veteribus collecta monumentis tuo rogatu tibi exponere. In quibus (ut vides) manifesto apparet illis, qui aliquo virtutis studio claruerunt, et vel foris vel domi magni habiti sunt, honorem publice exhibitum laudemque literis, quo perennior fieret marmore insculptis memoriae mandatum, praemia ista, quae momentanea sunt, et tam vulgi quam temporis obnoxia iniuriae contemnentes ad illam semper totis animi corporisque viribus capiendam mercedem contendamus, quae nobis ab ipso omnium rectore ac dominatore deo promissa est, sola enim neque vetustatis sentit, neque sui status mutationem formidat, nec ullum suae felicitatis finem futurum expectat. Eam autem assequemur, si sicut Romani imperatores contra inimicos magno animo dimicabant, ita nos adversus pravas cupidines boni et aequi rationem tuendo depugnabimus acriterque resistemus. Gloriosum est profecto adversariorum conatibus reluctari, reluctando superare, superando vel tropaeum vel ovationem vel triumphum demereri. Nulla tamen gloriosorum est victoria, quam se ipsum vincere et affectibus imperare, et non ea, quae corporis voluptas suggerit, facere, sed quod lex praecipit divina illud meditari, illud exequi velle, ad illud perficiendum tota animi affectione niti atque contendere; eos enim, qui sic agunt, non terrena manet remuneratio, sed coelestis, non laus in marmore incidenda vel in chartis describenda, sed illa inestimabilis atque ineffabilis gloria in coelesti regno perpetuo permanenda, divinaeque destinationis immobilitate stabilienda, neque minuenda unquam neque finienda. Non hanc acceperunt veteres Romani, non Carthaginenses, non Macedones, non Athenienses, non Thebani, non Lacones, non aliae nationes,

quaeque diu multumque dominatae sunt. Quum quos vera latuit religio, veri boni mercede indigni fuerunt, solis itaque in Christum credentibus et unum Deum pie sancteque colentibus ea impenditur. Quae quidem tanta ac tatis est, ut sicut Paulus Apostolus ait, omnem sensum superet humanum, omnem vincat mundanae opulentiae taxationem. Nec oculus vidit, inquit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit, quam grande bonum illud sit, quod preparavit deus iis, qui diligunt eum. Nihil enim aut maius cogitare aut pulchrius cernere, aut dulcius gustare, aut suavius audire, aut iocundius odorari, aut perennius possidere, quam eum possimus, in quo uno sunt omnia, et a quo omnia et per quem omnia. Semel benigne statuendum est, qui deum habet, eum nullius unquam boni indigere. Qui vero Deum non habet, eum habere nihil. Deum autem habent, qui iussa eius perficere student, atque conantur, cavendo a vitiis, virtutibusque inherendo. In deo enim manet et Deus in illis, hic per fidem firmam, illic per charitatem perpetuam atque sempiternam.

Finis.

Salonis postea repertum. 19.

I O M

Q. RAONIUS DIODORVS EX VOTO POS

VIT LIBES MERITO . IIII IDVS MAIAS

PRONIANO ET BRADVA COSS

Jovi optimo maximo. Libes pro libens, quaedam enim huiusmodi vocabula subtracto . n . scribebant antiqui. Hic Quintus Raonius Diodorus, posita Iovi ara sive templo, votum solverat. Quando autem id egerit, per idus diem, per consules annum ostendit. Hoc autem tunc Deo gratissimum solvimus votum, cum vitae cursum ita, ut ipse praecipit, dirigere studemus.

Salonis. 20.

A TER PANTERA

AGO FECIT

Puto sic legendum: Aulus Terentius pantherarum agonium fecit. Agonium ludum est, ait Festus Pompeius, ob hoc dictum, quia locus, in quo ludi initio facti sunt, fuit sine angulo, cuius festa agonalia dicebantur. Haec factitata sunt, ait, Romae in monte Quirinali; est enim Quirinalis agonius et collina porta Agonensis. Agoniorum meminit Ovidius lib. Fastorum primo dicens:

et prius antiquus dicebat agonia sermo.

De pantheris autem Plinius lib. VIII. cap. XVII sic scribit. Pantheris, inquit, in candido breves macularum oculi. Has a pardis, ait, solo candore discerni, et id animal gigni in Aphrica Syriaque. Idem ait, pantheras primus Scaurus in aedilitate sua varias CL universas misit, deinde Pompeius Magnus quadringentas decem, divus Augustus 420. Aulus igitur Terentius apud Salonas Romano more in agonali ludo pantheras exhibuit; et quidem id fecit, ut posteris quoque notum foret, litteris in marmore sculptis testatus est. Hoc equidem in illo amphiteatro factum reor, cuius adhuc vestigia extare cernimus. Et satis certe magnificum fuit, tam procul petitas bestias in ludum adduxisse, sed ego multo magnificentius esse dixerim, hominum bestiali vitu viventium licentiam legibus coercere. Illud enim ad voluptatem pertinet oculorum, hoc ad morum censuram.

Salonis. 21.

C SEXTIO QVOD · C · BELLO · CONF · RELIQVI
AS NON DESERVERIT POMPEIANORVM
VICTORIS IVSSV M · K · D · MVLTATO · ET ·
IN EXIL · ACTO · C · SEXTIA VXOR PARV
VLIS CVM LIBERIS OBSERVARI IVSSA
SEQ · IPSOSQ · REPENTI PRAECIPITIO
VINDICAVIT IN LIBERTATEM VIXIT
LIBERA · ANN XLVI SERVA NEC DIEM

C. bello conf. . / . civili bello confecto. M. K. D. maxima capitis diminutione multato. Caius iuris consultus. Capitis, inquit, diminutio est status permutatio. Paulus etiam ait: capitis diminutionis tria genera sunt, maxima, media, minima. Tria enim sunt, quae habemus, libertatem, civitatem, familiam. Igitur quum haec omnia amittimus, hoc est et libertatem et civitatem et familiam, maximam esse capitis diminutionem; quum vero amittimus civitatem, et libertatem retinemus, mediam esse capitis diminutionem; quum libertas et civitas retinetur, familiae tantum multatur, minimam esse capitis diminutionem constat; coetera in epitaphio posita patent.

Ne quis autem ulla unquam de causa sibi ipsi manum inferendam putet, Platonis in Phedone sententia est, nemini fas esse sibi mortem consciscere. Animam enim Dei omnium domini depositum esse in corpore, quam qui excluserit illo invito, graviter peccabit. Photinus quoque putat, animam corporeis passionibus liberam exire oportere, quam qui de corpore violenter excludit, liberam esse non patitur; aut enim metu aut odio agit, et animam talium passionum

sordibus inquinat. Quod si paganis divinae legis ignaris haec sententia sederit, quanto magis christianis, deo cui serviunt, id ipsum asserente, placere debet? Ait enim: non occides; et si alios occidere vetamur, quanto magis nos ipsos. Longe autem satius est, servitutem, exilium, proscriptionem et quaeque adversa in vita pati, quam malis istis, quae temporaria sunt, evitatis, in malum aeternum incidere, et post corporis animaeque solutionem ad inferos relegari. Divini quippe mandati prevaricatoribus talis proposita est poena.

Salonis. 22.

CONSENTIO DEORVM MARC

AN • A • SOZOMENE IMPERIO FECIT

Marcus Terentius Varo de re rustica scripturus Deos invocat consentes, eosque XII. nominatim enumerat. Festus quoque Pompeius ait: consentia sacra dici, quae multorum consensu sunt statuta. Consentes ergo deos illos appellasse videtur Varo, a quibus terrae fruges iuvare, et multorum concensu creditum sit. Hic ego consentionem deorum hoc loco aedem cognominatam reor, quae diis illis dedicata erat, quos populus Salonensis pariter se consentiens magis religiose venerabatur. Hanc igitur aedem Sozomene mulier sic dicta fabricandam curavit iussu et imperio Marci Antonini Augusti, de quo dicendum restat. Marcus Antoninus ab Antonino Pio adoptatus, eo defuncto et senatus autoritate reipublicae regimen suscepit. Cum Lucio Vero fratre primus aequo iure imperavit. Uxorem habuit Anniam Cornificiam, deinde Faustina Junio-rem amitinam suam, graecis latinisque perdiscendis literis operam dedit, philosophiaeque incubuit studiis. Pio ipsi morum vitaeque probitate persimilis fuit. Marcomanos, Germaniae gentem, in Danubii transitu vicit. Cum Commodio filio, quem de Faustina genitum caesarem nuncupaverat, triumphavit. Aufidio Cassio a senatu hoste iudicato, post eius necem Antiochenis, qui cum illo coniuraverant, veniam indulsit. Marcomanos bello repetiit, tertioque anno, quam ad eam expeditionem profectus est, vita decessit, Commodio filio relinquens imperium. Luxit eum civitas, quisque omnium optimum fuisse predicavit. Imperavit annos XVIII, vixit LXI.

Salonis. 23.

FL CONSTANTI • NOBILISSMO AC BEATIS

SIMO CAESARI COLL FABRVN VENERIS

De Flavio Costantino Caesare superius inter romanas inscriptiones est relatum. Huic ob merita collégium Fabrorum aedis Veneris statuatam erexerat, atque ita insculptis in marmore literis inscripsit.

Flavio Constantino nobilissimo ac beatissimo Caesari collegium fabrum Veneris, subintelligitur posuit. Collegia erant, quae nunc fraternaliae vulgo appellantur, dicebantur eius diei, cuius aedem frequentabant. Fabrum sincope est pro fabrorum. Faber, commune nomen est eorum, qui manibus opera exercent. Beatus dicitur, cui cuncta prospere succedunt. Sed quum mortalium beatitudo flux atque fragilis est, beatum non putabant, nisi quem usque in finem vitae beatum fuisse constabat, unde Iuvenalis.

Dici beatus ante obitum nemo supremaque funera debet.

Nos vero illum beatum esse dicimus, qui iam illam beatitudinem, quae amitti non potest, est confectus. Quid enim iuvat usque ad diem extremum prosperitatibus perfrui, et post haec eternis subjici suppliciis.

Salonis. 24.

D S P

FEL · VR · QV · TE · CI · Q · L · SEV AB

INI · INT · AN · XX · S · C · DEC · B · M · ST · P

Integrum sic: felix urna, quae tenes cineres Quinti Lucii Severi ab inimicis interempti annorum viginti Salonarum cives decuriorum benemerito statuam posuerunt.

Decuriae (ut Pedianus ait) nobiliorum sunt centuriae inferiorum. In municipiis id est decurio, quod Romae senator. Pomponius juris consultus de verb. sign. decuriones inquit dictos ex eo, quod initio, cum coloniae deducerentur, decima pars eorum, qui deducebantur, publici consilii gratia conscribi solita erat. Idem ergo Severus ex nobilioribus fuit, et iuveni ardore fervens, cum inimicis congressus periit; ob quam animi fortitudinem statuam a civibus meruit. Titulus habet D. S. P. hoc est: Diis sacrum perpetuum.

Salonis. 25.

VIBIVS PIVS DEO SOLI INVICTO ARAM

DEDICO VT SIS MIHⁱ PROPICIUS MIL

ITIB · CENTVRIONBVSQ · MEIS

Vibius deo soli aram dedicat. Deo inquit soli invicto, vel quia dictus solus superior omnium sit, vel solem deum putavit, quia suo splendore cuncta illustrat, suo calore omnium causa est gignendo-

rum. Primi Egyptii, ut Diodorus ait, solem et lunam deos putarunt, et solem quidem Osirim, lunam Isim nuncuparunt.

Vibius iste ductor Salonitani exercitus fuit, et cum hoste conflicturus deum sibi propitium optavit. Hic reprehendenda est quorundam christianorum temeritas, qui suae solertiae virtutisque confidentes deo supplicare negligunt, ideoque a paucioribus interdum superantur et pereunt. Ignorant utique dei potentiam humanis viribus esse maiorem.

Salonis. 26.

MAꝚ · INVIC · DOMIC · POMPE · SAL · CV

CEN · · SIG · MIL · · E · ARMA · POSVER

Sic legendum: Marti invicto, Domicius Pompeanus Salvus cum centurionibus signa militaria et arma posuerunt.

Offerebant gentiles diis arma atque signa sive hostium sive sua, hostium, cum victores reverterentur, sua, cum emeritis stipendiis salvi in patriam redissent, hi pro salute, illi pro victoria gratiam referentes. Is mos etiam apud christianos inolevit.

Pendere videmus nostris in templis vexilla, scuta, thoraces, aliaque arma. Id iuventuti bellicae virtutis incitamentum est, ut videlicet caeteri ad eandem acquirendam gloriam pro viribus nitantur sui memoriam posteris relicturi.

Salonis. 27.

A · IANIO · SATYRO · DELMINIO · DECVR

LEG · II · VIRTVTISQ · CAUSA · DONIS · DONA

TO · GEM · TORQ · CORON · MVRALIB · AV

RE · II · VEXILL · III · VIBIVS · P · MIL · SVO · B · M ·

Legendum sic: Aulo Ianio Satyro Delminio decurioni legionis secundae virtutisque causa donis donato, gemmis, torquibus, coronis muralibus aureis duabus, vexilis tribus. Vibius pius militi suo benemerito.

Janus iste videtur Delmata fuisse, et quod Delminius hoc est Delminio oriundus, de quo oppido Strabo lib. suae geog. VII. Delminium inquit ampla civitas, a qua cognomen gens illa vindicat, eam Nasica exilem reddidit, agrumque desolatum pecori pascendum reliquit. Janus ergo Delminius, dum sub Vibio Pio militaret, ita strenue se gessit, ut his donis, quae hic memorata sunt, affici mereretur. De coronis autem militaribus superius a nobis tractatum est, et qui plenius vult discere, legat A. Gellii lib. v. cap. sextum, ubi idem ait, muralem coronam et castrensem et navalem ex auro fieri soli-

tam. Poro Vibius Pius tertio citra hoc epigrammate aram dedicat soli invicto, ut sit ipsi propicius, militibus centurionibusque suis. Juvenis in hoc libello inter extrema et alium Vibium Gallum primipilarem praefectumque castrorum et ipsum donis donatum honoris virtutisque causa. Noster igitur Janius Delminis nequaquam posthabendus Vibii istis vel et Licinio illi Dentato, quem Plinius in libris naturalis historiae donatum refert hastis puris duodeviginti, phaleris XXV, torquibus III et LXXX armillis, CLX coronis, XXXVI civicis, XXIII aureis, VIII muralibus, III obsidionalibus. Fit enim plerumque, ut aliquis plura dona referat, non quia viribus alteri praestet, sed quia quod saepius rei gerendae nactus sit occasione; quae si Janio nostro toties daretur, sicut virtute, ita et donorum merito Licinium, quem forsitan equasset. Huic militi suo benemerito Vibius Pius imperator sive sepulturam sive statuam posuit, ut in hoc epigrammate apparet.

A · D · V · M · P · R ·

Finis.
